DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE *APOPLEXIA HYDROCEPHALICA*;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS MOFFAT,

BRITANNUS;

IN CLASSE REGIA CHIRURGUS

NECNON

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDIN. SOCIUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

Sufficit, si quid fiat intelligamus, etiamsi quomodo quidque fiat ignoremus.

CICERO.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M DCCC.

VIRIS OPTIMIS

ET

AMICIS DIGNISSIMIS

ERASMO GOWER,

EQUITI;

ET

GULIELMO ESSINGTON,

ARMIGERO;

PEREXIGUUM

AMICITIAE ET OBSERVANTIAE

TESTIMONIUM,

HANC

DISPUTATIONEM

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

PROOEMIUM.

Operae forsitan pretium esset, licèt praesenti nostro consilio alienum, inquirere, unde acciderit, ut Apoplexia hydrocephalica, quo sanè morbo nullus lethalior est, signisve propriis notabilior, medicis, ad nostram ferè aetatem, lateret.

Ex signis quidem, quae memoravit, est, quòd inferamus, Hippocratem hunc morbum saepe

vidisse, etiamsi semper habuerit pro morbo, quem, nostris temporibus, Hydrocephalon externum medici nominant.

Alii etiam veterum scriptorum signa quaedam Apoplexiae hydrocephalicae raptim et turbatè memorant; sed, pariter atque HIPPOCRATES, alii morbo ascribunt. De morbo verò, qui his notis insigniatur, neutiquam inter eos convenit: dum enim aliis, sicuti medicinae patri, videtur, hydrocephalon externum esse, aliis placet, esse febrem cui supervenerit sopor seu coma, vel verminationem.

Tandem verò PAISLEIUS primùm, tum WHYTTIUS, patefactis cadaveribus, apoplexiae hydrocephalicae naturam, ex parte, aperuerunt; atque, his auspicantibus, alii multo clariùs illustrârunt. Multum tamen abest, ut hic morbus adeò clarè intelligatur, ut, qua certò ratione curetur, sciant medici.

Sed, quùm, nostrâ aetate, cùm medici tùm philosophi summâ ope studeant, ut morborum naturam, pariter atque medicamentorum facultates, cognoscant; speramus, brevi fore, ut cui-

que

que morborum, quibus patent mortales, idoneam ratio inveniat medicinam. Complures jam morbi, qui, haud ita pridem, mortalibus terrori erant, medicinae opprobrium, medicamentis idoneis cognitis, curatu faciles sunt; neque profectò desperamus, labentibus annis, fore ut obstinata vis morborum excultae arti medicinali cedere assuescat. *

DEFINITIO.

Morbus, de quo scribimus, definitur à CULLENO,

* "The discovery," inquit BEDDOESIUS, "of every new specific, or substance capable of correcting given morbid actions of the system, affords a new reason for believing in the existence of others. We have analogies enough to persuade us, that there is no lesion of organization, induced by the powers of the living body, modified in one way, which the same powers, differently modified, may not repair: and that by dint of frequent ventures some happy hand will draw from the lottery of nature, a remedy for each of those diseases, which, at present, most baffle the physician, and torture the patient."

LENO, emendante GREGORIO, "Apoplexia pau-
"latim adoriens: infantes et impuberes ple-
"rumque, primùm lassitudine, febriculâ, et do-
"lore capitis, dein pulsu tardiore, tandem fre-
"quentiore, pupillae dilatatione; strabismo; et
"somnolentiâ afficiens."

HISTORIA.

Apoplexia hydrocephalica impuberes, inter quartum aetatis annum et decimum quartum, prae adultis, adoritur. Veruntamen, ut ex ejus natura aliquis praenoscat, omni nonnunquam aetate mortales invadit. Duos, haud ita pridem, hoc morbo affectos novi; quorum unus, sexaginta ampliùs annos natus, mortuus est; alter, qui quadraginta plùs annos compleverat, perductus hydrargyro est ad sanitatem.

Infantum validissimi, vegeti et alacres, huic morbo, utì ferunt auctores, maximè obnoxii sunt; ii verò potissimùm, qui, strumosis parentibus nati, ipsi externis notis haud dubiè strumosi sunt.

Signa,

Signa, quibus cognoscitur apoplexia hydrocephalica, tribus temporibus adeò diversa sunt, ut medici, quorum est naturam, tanquam ducem, sequi, tempus, quod cursu implet, in tria spatia diviserint.

Primo Spatio—nulla constat longinquitas. Variat enim haec, pro aegri aetate, corporis constitutione, et morbi gravitate. In infantibus, per duas plerumque, tres, vel quatuor hebdomadas, protrahitur, imò interdum per plures; atque interea morbus sensim pedetentimque increscit. In adultis autem, utì morbus violentiùs invadit, ita increscit celeriùs.

Ineunte morbo, gravior somnus premit: corpus moveri piget: animus marcet, simulque fit languidus, hebes et irritabilis: pallet facies: cibos fastidit imbecillus stomachus: arteriis solito celeriùs se moventibus, calescit summa cutis; et sitis urget: albida saepe lingua est; sed, morbo producto, suffunditur rubore, qualis aphthas praenunciare solet. Febris haud raró, primo mane, remittit, atque aeger malorum intercapedine fruitur; sed, appetente vespere, ingravescit.

vescit. Nonnunquam verò inordinatè et decedit et revertitur.

Interdum, ab initio adversae valetudinis, at saepius postquam signa modò memorata, per paucos dies, continuârunt, dolor plùs minùs acutus, in aliqua capitis parte, sentitur, vel cervice. Plerumque verò dolet sinciput, super oculorum orbitis. Caput, ferè ab initio, supra consuetudinem, calet. Aliquando autem dolent membra vel intestina, neque, donec aliquandiu increverit morbus, caput dolore afficitur.

Dolor capitis, nisi gravis, noctu plerumque intenditur, et mane remittit. Rarissimè, per totum morbum, in eâdem parte est. Caput, corpore erecto, plerumque, ut observârunt medici, inclinat in latus, quod dolet.

Stomachus, quaecunque in eo sunt, frequenter rejicit; neque morbus diu antè continuavit, quàm, singulis diebus, assumptos cibos semel bisve suprà reddit. Dolor nonnunquam capitis et vomitus alternis vicibus urgent, cum dolore membrorum; ita ut, hoc ingravescente, illa leventur.

Alvus

Alvus adeò torpida est, ut, ad eam infantis movendam, tantum cujuslibet cathartici requiratur, quantum, ad alvum sani adulti purgandam, sufficeret. Nonnunquam autem, licèt rarissimè, alvus solito citatior est.

Oculi fiunt lucis intolerantes; atque, hanc ob rem, aeger, quamvis ad vigiliam, quàm somnum, pronior sit, lecto se plerumque continet.

Ubi eò processit morbus gravitatis, aeger perpetuò ferè ejulat. Eum subinde territant tumultuosa somnia. Saepe, tanquam visu auditu ve horridis perterrefactus, somno subitò expergiscitur; neque tamen interroganti, quid tantum injecerit terrorem, dicere potest. Stridet, inter somnum, dentibus. Facies, initio pallida, nunc rubore subinde suffunditur. Lucerna incensa, oculis propè admota, majorem, quàm antea, molestiam movet. Nares, propterea quòd non, ut, prosperâ valetudine manente, solebant, muco illinuntur, continenter pruriunt, desiderantque ut carptu lacessant ungues. Haud raro etiam sanguinem exstillant, quo tamen mala, quibus aeger premitur, nihil prorsùs levantur.

Neque

Neque, profectò, magis mitigantur sudore, qui in capite oritur, atque pectore.

Progrediente morbo, vomitus frequentior fit, ac citatior spiritus. Hoc ferè tempore, praesertim si adoleverint aegri, delirium est, vel saltem mens plùs minùs turbata. Oculi, propiore intuitu inspecti, nasum versus obliquati observantur. Urina adeò aliàs alia est, ut, de ea, nihil certum possimus dicere.

Haec praecipua signorum sunt, quibus, primo cursûs spatio, cognoscatur Apoplexia hydrocephalica. Ex his pauciora plurave semper hoc morbo aegros premunt, sed neque eâdem semper gravitate, nedum eodem ordine.

Secundum Spatium—apoplexiae hydrocephalicae, incipit, ex quo tempore arteriarum pulsus, ex celeribus et aequaliter ordinatis, fiunt tardi vel tardiores, atque ii sani hominis, simulque cùm vi tùm temporibus inaequales; dum, interea temporis, calor intentus, et pleraque signorum quae, primo spatio, urgebant, nec remissa manent.

Arteriae aliquando se subitò submittunt. Plerumque

Plerumque verò paulatim tardescunt, donec septuagies non ampliùs, sexagies, quinquagiesve, temporis minuto, moveantur.

Aeger nunc se lecto plerumque tenet; atque, etiamsi de capitis et membrorum doloribus conqueratur, saepe tamen manibus caput amplectitur, perinde ac si vellet molestiâ quadam se liberare, simulque horrendos subinde edit ejulatus. Vomitio vel, ex toto, cessat, vel multo rariùs revertitur; atque aeger oblatos cibos rabidè devorat. Etiamnum tarda alvus est. Haud rarò, quoties dejicit, vermes, vel quaedam in vermium similitudinem configurata, infrà transmittit; neque tamen, his egestis, levantur mala, quae premunt.

Cùm eò gravitatis increvit morbus, veternus, qui aegrum tenet, indies increscit. Oculi, nasum versus, se magis magisque obliquant, atque ex uno duo videre videntur. Magis quotidie ampliantur pupillae, neque se diutius, prout clara lux admittatur aut obscura, contrahunt et dilatant. Torpente demum retinâ, oculi prorsùs caligant; neque rarò, inter somnum,

num, palpebris non commissis, semiaperti manent.

Quod autem mirum est, auditus, et sensus utì dicuntur interni, nonnunquam, etiam postquam caecus evasit aeger, sani manent.

Admodum nunc foetet anima; sed, an ex vermibus alvum infestantibus, an ex hac alioquin se malè habente, nondum satìs constat. Limpida et cruda urina est, atque in ea nonnunquam quaedam subsidunt. De ea verò nihil perpetuum est.

Hoc circiter tempore, aeger haud raró, diem biduumve, malorum miseriarumque intercapedine fruitur.

Quamdiu secundum spatium hujus morbi producatur, nondum convenit inter scriptores. Plerumque, ab una ad tres hebdomadas implet.

Tertium Spatium—quod percurrit apoplexia hydrocephalica, incipit ab alia notabili arteriarum pulsuum mutatione. Etenim, hoc ferè tempore, arteriarum motus, ex tardis, haud raró fiunt subitò celeres, et tam vi tam temporibus aequales. Infantis quadrimi arteriae, utì

numeravit

numeravit GREGORIUS, accuratus in primis, temporis minuto, centies et octogies sexies micuerunt. Aliûs arteriarum, die ante mortem, motus, temporis itidem minuto, ducentos et decem nùmeravit WHYTTIUS. Diversis ejusdem diei temporibus, arteriarum motus celeritate diversi sunt. Die plerumque ante mortem, citatiores sunt, quàm ullo antecedentium.

Somnus, qui antea, ultra debitum, urgebat, nunc in soporem increscit, qui interdiu noctuque continuat. Si quando excitatur aeger, suae mentis non est, et, pauca aliena locutus, statim ferè denuo soporatur. Oculi magis magisque obliquantur, et, si non antea, fiunt luce inexcitabiles. Eorum simul tunica, adnata dicta, inflammatione plùs minùs vehemente afficitur. Resolutae palpebrae, altera post alteram, demittuntur. Facies, hìc illic, jam rubore suffunditur, jam, sicut ea cadaveris, pallet. Capiti alterutra continenter manus apponitur.

Aliquando, secundo morbi spatio, aegri convelluntur, sed plerumque non ante tertium. Quamvis membra nervorum singultu distentio-

neve

neve vexentur, aut alterutrum latus membrumve nervorum resolutione; tamen interdum, licèt raro, aegri vident, audent, et suae mentis sunt, usque ad extremum halitum.

Superveniunt, demum, spirandi difficultas, simulque devorandi difficultas aut impotentia. Aegro insciente, excernuntur faeces et urina. Atque vita vel paulatim cum viribus emoritur, vel nervorum distentionibus subitò extinguitur.

Plerumque, sub finem, alvus laxa fit, atque ex naribus nonnunquam sanguis profunditur.

Tertium hydrocephalicae apoplexiae spatium, à tribus plerumque ad octo dies ante mortem, incipit. Quantum verò tempus morbus cursu impleat, cognitu in primis difficile est. Cùm, primo spatio, notae, quas ostendit, ambiguae sint, neque iis sanè dissimiles, quibus initio cognoscatur levior febris; mihi videtur esse, quare medici concludant, ferè semper aliquandiu antè urgere, quàm, quid aegroto sit reĩ, suspicari parentes incipiunt vel medici, atque longius, quàm vulgò creditur, cursu implere tempus. Continuat, utì putat WHYTTIUS, quatuor,

tuor, quinque sexve hebdomadas. FOTHERGILIO videtur, viginti uno diebus finiri. Censet GREGORIUS, rarò ultra duas, vel, ad summum, tres hebdomadas protrahi.

Signa ordine, quo memoravimus, rarò in ullo, quem urget apoplexia hydrocephalica, observantur; neque ex his forsitan ullum est huic morbo adeò proprium, quin alio quopiam oriatur. Verùm signa tamen sunt, quibus hic morbus, quoties manifestus est, plerumque notatur. His igitur cognitis, atque in memoria retentis, aggrediemur quàm paucissimis ostendere, quibus praecipuè notis hic morbus dignoscatur ab iis, quibus cum eo signa quaedam communia sunt.

In adultis tria spatia, quae memoravimus, multo minùs evidentia sunt; atque morbus, potissimùm si breve tantùm tempus cursu impleat, veram apoplexiam signis multo magis simulat. In distinguendo igitur apoplexiam hydrocephalicam ab aliis morbis, quibus est quorundam signorum similitudo cum ea, habebimus ante oculos

los eum morbum, utì se in impuberibus ostendit.

DIAGNOSIS.

Ineuntis Apoplexiae hydrocephalicae notae saepe adeò obscurae sunt, vel adeò iis similes quibus insigniuntur alii quidam morbi, ut vel peritissimi nonnunquam medici nesciant, quis invadat morbus, certò discernere. Quod, profectò, eò magis dolendum est, quòd nullus alius morbus est, quem nascentem pluris interest medicorum cognoscere, quemve, praetermissâ opportunitate, ad curandum minùs valet medicina.

Morbi, qui signis apoplexiae hydrocephalicae simillimi sunt, quibusque ideò hanc dignoscere difficillimum initio est, sunt verminatio et dentiendi difficultas. Quo verò longiùs progrèditur apoplexia hydrocephalica, eo certioribus notis potest ab his morbis distingui.

Si quis, nondum quatuordecim quindecimve annos natus, dolenti capiti alterutramque manum subinde apponit; si, arteriarum pulsu citatiore,

tatiore, febrit et sitit; si semel indies bisve evomit; si somnus imaginibus turbatus est; si oculi lumen refugiunt, et alvus tardescit; si aeger nullum ex leni vomitione et alvi purgatione levamen accipit, et strumosis parentibus natus est, quorum ex fratribus sororibusve nonnulli iisdem malis affecti sunt, nec multò pòst apoplexiâ hydrocephalicâ mortui; vix dubium est, quin periculosus hic obrepserit morbus. Certò tamen, aliquem, qui his malis urgetur, in apoplexiam hydrocephalicam incidisse, priùs affirmare nequeunt medici, quàm eò processum est gravitatis: ubi tardus arteriarum pulsus, quo calor corporis adeò non remittit, ut haud raro intendatur; sopor; oculique perversi, quorum pupulae non contrahunt sese aut ampliant, prout clara lux admoveatur aut obscura; nullam apud eos dubitationem relinquant, effuso humore degravari cerebrum.

Verminosi saepius, quàm apoplexiâ hydrocephalicâ oppressi, convulsionibus torquentur. Illorum ab initio, horum non item, abdomen durum et intentum est; atque, dum etiamnum

non

non dolet caput, dolore afficitur. Anima, porrò, illorum pejùs foetet: caninus plerumque appetitus est: mucosa quaedam dejicit soluta alvus. Rariùs, denique, quàm apoplexiâ hydrocephalicâ aegroti, subitò timent ex somno, et ejulationem miserabiliter edunt.

Dentiendi difficultatem, et morbum quem persequimur, distinguere medicus plerumque facilè poterit, modò animadvertat, qua aetate aeger sit; quomodo se habeant gingivae; et parca an effusior saliva sit. Quinetiam, dentientes multo frequentiùs, quàm Apoplexiâ hydrocephalicâ gravati, convulsionibus cruciantur. Illis, porrò, alvus plerumque cita et laxa est; his, contrà, tarda et dura.

Typho mitiore impliciti, nonnunquam, sub finem, imò interdum per cursum, sopore, vel saltem nimio somno, premuntur; pariter ferè, atque confirmatâ vel inveteratâ Apoplexiâ hydrocephalicâ laborantes. In hoc verò morbo, in illo non item, accessiones tum temporibus tum spatiis inaequales sunt, et complures quotidie integritates observantur. Insignis, porrò, arteriarum

riarum pulsûs varietas, apoplexiam, quam agitamus, non solùm à typho mitiore, sed etiam ab omnibus aliis morbis, satis distinguit; quamvis non eo tempore, quo plurimùm ad sanandum polleret medicina.

Tanta tabis mesentericae et hydrocephalicae apoplexiae similitudo est, quanta nonnunquam errorem creavit. Utrisque enim communia sunt lenta febris, et pulsus arteriarum inaequales. In illo verò morbo non, sicut in hoc, vomitus certis temporibus urget; caput dolet; arteriaeque modò tardiùs multo, quàm eae sani hominis, micant, modò adeò celeriter, ut vix, imò ne vix quidem, possint numerari. Ex signis, porrò, quae tabem mesentericam comitantur, satis plerumque constat, eâ, necne, aeger maceretur.

INTROSPECTA CEREBRA.

Quum omnis scientia apoplexiae hydrocephalicae, quam, nostrâ aetate, medici possident, acquisita sit ex introspectis cerebris eorum, quos

absumpsit; oportet, quoties se offert occasio, cerebra hoc morbo mortuorum ferro patefacere; atque distinguere, quantùm possint, quae morbida effecerit ipse morbus, quae medicamenta et remedia, et, denique, quae mors. His enim cognitis et fideliter narratis, fieri potest, ut inveniat medicorum aliquis rationem, qua sanetur periculosissimus hic morbus, ad quem hucusque sanandum parùm potuit medicina.

Eorum, qui hoc morbo periêrunt, brachia, pectora et colla, multùm nonnunquam purpurascunt.

Durâ matre submotâ, interdum, sed non semper, humor aspectu glutinosus conspicitur inter tunicam arachnoideam et piam matrem interfusus. Vasa, in summo cerebro conspicua, sanguine, supra consuetudinem, turgida sunt; neque raro, in eodem, signa haud dubia, inflammationem, dum vita manebat, fuisse, manifestant.

Ventriculis patefactis, invenitur aqua limpida; quae, utì chymici periculis comperti sunt, easdem prorsùs qualitates possidet, quas aqua, quae

caetera

caetera hydropicorum cava opplet, nisi quòd minorem in se continet copiam albuminis. Quantitas hujusmodi aquae, in ventriculis contenta, ab una uncia ad sex, octo, duodecimve, imò interdum plures, variat. Nonnunquam, modò concreverint meatus, per quos ventriculi inter se communicare solent, in uno tantùm ventriculorum continetur aqua; sed multo saepius, meatibus perviis, in omnibus simul.

Ubi apoplexia hydrocephalica gravis fuit, et brevi tempore aegrum rapuit, haud raro nihil effusae aquae in apertis post mortem ventriculis deprehenditur; neque profectò quid morbidi conspicitur, nisi vasa sanguine, supra modum, turgida, et interdum, at minimè semper, signa, quae, inflammationem, ante mortem, in cerebro ortam esse, ostendunt.

Nonnunquam hydatides tunicis omnium vasorum adhaerent, quae in superficiem cerebri sanguinem distribuunt.

In capitibus eorum, quos abstulit morbus quem persequimur, Gregorius compluries observavit tubera ossea interno cranio excrescentia,

tia; aut duritias multas in cerebri substantia, quae, incisione factâ, strumosos colli tumores simulabant, quarumque nonnullae, ante mortem, suppuraverant. Imò, haud exiguam semel conspicatus est cerebri portionem, quae, ante obitum, suppuraverat, in pus solutam. PERCIVAL, utì certiores nos facit, unum semel hemisphaerium cerebri, ex toto in pus conversum, invenit.

Quando in cerebro duritiae sunt, glandulae simul mesentericae aliquando durae reperiuntur.

CAUSAE.

In quo consistat proclivitas in apoplexiam hydrocephalicam, non satìs constat. Inter plerosque tamen medicos consentitur, strumosos, prae caeteris, quadam corporis constitutione, haudum bene cognitâ, huic morbo opportunos esse. Eidem, porrò, infantes magis obnoxii sunt, quàm adulti; idcirco fortasse quia, eâ aetate, sanguis in caput majore copiâ, pro corporis

poris magnitudine, quàm in alias partes, distribuitur.

Haud scio, annon etiam cunarum per somnum motio infantes ad hunc morbum pronos faciat. Fieri sanè potest, ut frequente quotidie agitatione sanguis justo copiosiùs in caput derivetur, hujusque vasa aptiora reddantur, quae inflammationem capiant, et aquosas sanguinis partes effundant. Sic putat DARVINUS.

An morbi alii, veluti variola, rubeola, caeterique, quibus, tenerâ aetate, obnoxii sunt mortales, huic, necne, morbo opportunos infantes faciant, certò affirmare non possumus. Omnes fermè infantes his morbis afficiuntur; perpauci tamen in apoplexiam hydrocephalicam incidunt.

Causae, quibus concitatur hic morbus, sunt detrimentum, quod, inter partum, caput accepit, vel post partum; atque duritiae, seu tubera, in cerebro, à quibus obstatur, quò minùs, per omnes ejus aequaliter partes, sanguis expeditè fluat.

Tinea,

Tinea, aliaque ulcera capitis, repulsa, eodem forsan modo, quo fonticuli suppressi, morbum, de quo scribimus, haud rarò inducunt.

Multae aliae causae ab auctoribus memorantur; sed, morbum, necne, quem agitamus, excitent, nobis dubium videtur. Cùm ita sit, eas recensendo tempus terere, esset prorsùs inutile.

Nomine apoplexiae hydrocephalicae significantur duo morbi, inter se nonnihil diversi, et quorum uterque diversam curationem postulare videtur.

Unus in strumosis oritur, in quorum cerebris tubercula et suppurationem movet, facitque ut in ventriculos humor aquosus effundatur. Verisimillimum autem est, humorem in ventriculis non priùs colligi, quàm morbus inveteraverit, atque tumores eò increverint magnitudinis, ut absorbentes, si quae, venas multùm comprimant. Ut humore, contra consuetudinem, distendantur cerebri ventriculi, committant quoque insolitus absorbentium torpor,

et

et insolita arteriarum exhalantium laxitas, quam nimia plenitudo effecerit.

Viginti duorum apoplexiâ hydrocephalicâ aegrorum, quorum historiam literis mandavit PERCIVAL, quatuordecim strumosi erant, et quatuor rachitici aut erant aut videbantur. Eorum quoque, quos hoc morbo afflictos vidit GREGORIUS, plerique naturâ strumosi erant. Quibus cognitis, concludere aequum est, duarum apoplexiarum, quae pariter hydrocephalicae nominantur, strumosam, seu tuberculosam, longè frequentissimam esse.

Alter morborum, quibus commune nomen, apoplexia hydrocephalica, est, non videtur strumosâ corporis constitutione nasci; sed à mera, vel saltem ferè mera, piae matris aut cerebri substantiae inflammatione incipit, quae haudquaquam semper efficit, ut in ventriculos humor aquosus effundatur.

Duas apoplexiae hydrocephalicae species esse, strumosam, nempe, et phlogisticam, adhuc clariùs apparet, ex historia adolescentulae, loco haud obscuro natae, quam PERCIVAL literis

literis prodidit *, itemque ex alia, quam QUINIUS ‡.

Haec strumosae apoplexiae hydrocephalicae et phlogisticae distinctio, quam confirmant ea, quae scriptis mandârunt hi auctores, discrepantiam de signis et diuturnitate facilè conciliat, quae, in scriptis auctorum qui hunc morbum agitârunt, ubique invenitur. Tria enim spatia, quae percurrit hic morbus, maximè evidentia sunt in strumosa, quae, utì obscuriùs incipit, ita lentiùs progreditur; dum phlogistica, quae simplicem apoplexiam magis simulat, multo citatiùs cursum peragit.

Verisimile tamen est, duas apoplexiae hydrocephalicae species haud raro mistim uniterque urgere. Tubercula, enimvero, et duritiae apoplexiam hydrocephalicam non antè concitant, quàm inflammationem ceperunt, nisi, id sanè,

* Vid. *Medical Facts*, Vol. I. pag. 125.

‡ Vid. QUIN. Dissert. Med. Inaug. *De Hydroceph. Intern.*

sanè, quod vix credibile est, moveant, absorbentia, si qua, vasa comprimendo. Verùm strumosa tamen inflammatio, à qua, in strumosis incipit apoplexia hydrocephalica, simplici absimilis est inflammationi, unde oritur in iis, qui sanâ constitutione gaudent.

PROGNOSIS.

Quùm morbus, quem persequimur, insidiosè obrepat, neque facilè cedat medicinae; quùmque medicus rarissimè possit cognoscere, quid aegrotanti sit rei, donec usque eò increverit morbus, ut medicina parùm valeat; aegris, qui hoc laborant, salutem polliceri non possumus. Scientiâ tamen efficacioris aliùs remedii, quam assecuti sunt medici, fieri potest, ut, in feliciorem cùm apoplexiam hydrocephalicam, tùm multos alios morbos curándi viam, procedatur.

Quo citiùs apoplexiae hydrocephalicae subvenit medicina, eo plùs pollebit. Strumosa hujus morbi species, utì longinquior plerumque phlogisticâ est, ita certiùs lethalis; cùm nihil-

dum noverint medici, quo cerebri duritiae emolliri possint.

Quando morbus in tertium cursûs spatium processit, vel etiam in secundum, nulla ferè spes manet futurae salutis. Apoplexiam tamen hydrocephalicam, quae, ut ex notis haud ambiguis clarè apparebat, in tertium spatium progressa erat, DUNCANUS, salivâ oris motâ, ad sanitatem feliciter perduxit.

Si narium pituita, quae intermiserat, denuò redeat, bonum indicium habetur.

CURATIO.

Donec appareant signa, quibus apoplexia hydrocephalica clarè cognoscatur, ita ut medicus non diutiùs dubitet, quis morbus urgeat, nihil amplius, quàm signis, utì oriuntur, opitulari potest.

Sed medicorum est, simul atque habuerint, pro certo, apoplexiam hydrocephalicam quenquam invasisse, primùm cerebri ejusve membranarum inflammationem digerere, ne in ventriculos

triculos postea humor effundatur; deinde, si seu medico non tempestivè advocato, seu medicinae impotentiâ, inflammatio idoneo tempore non discussa est, operam dare, ut effusus, si quis, humor resorbeatur; atque tùm, graviora signa, quibus urgetur aegrotus, levare.—Nulla verò medicamenta, quibus discutiantur tubercula, si qua in cerebro sunt, medici hactenus compererunt.

Nonnulli forsitan dubitent, numne, in strumosa apoplexia hydrocephalica, medicus, si temporè arcessitus, debeat, ante omnia, aggredi inflammationem digerere. Sed haec dubitatio tolletur, si modò ea in mentem revocent, quae suprà memoravimus.

Primo Consilio,—summi momenti est, ut idonea medicamenta et remedia quamprimum assumantur. Morâ enim interpositâ, periculum est, ne interea inflammatio eò procedat gravitatis, ubi eam discutere nequeat medicina.

Sanguinis detractio,—prae caeteris remediis, ad inflammationem discutiendam pollet. Quocirca, si aeger, aetate adultus, constitutione cor-

poris

poris validus sit, et sanguine plenus; si facies suffundatur rubore, et urgeat febris; atque, si ea urgeat morbi species, quam phlogisticam nominavimus; semper opus erit, sanguinem ex brachio semel mittere iterumve eâ copiâ, quam desideret vis morbi, atque aegri vires pati posse videantur.

Ex infantibus verò, praesertim strumosis, oportet sanguis consideratiùs detrahatur; partim propter debilitatem, quam faciat ipsa detractio, partim ob debilitatem, quae seriùs morbo urgenti ociùsve superveniat. Quum ita sit, satius erit, hirudinibus, cucurbitulisve cum ferro, ex partibus inflammatae quàm proximis sanguinem, quantus requiratur, detrahere. Sanguine sic emisso vasa partis inflammatae satìs deplentur, neque tamen, sicuti sanguinis ex brachio missione, debilitatur totum corpus.

Quo propior inflammatae pars est, ex qua detrahitur sanguis, eo plùs ad inflammationem discutiendam detractio valebit. Namque, etiamsi sanguinis ex parte quàm proximâ detractio, cerebri arteriarum plenitudinem non minuat, impetum

impetum tamen, quo in his sanguis promovetur, temperare possit.

Refrigeratio.—Dummodo aeger hydrargyrum non assumpserit, oportet caput, ad cutem tonsum, aquâ subinde frigidâ, vel hac cum aceto, lavare.

Exulceratio—capitis plurimùm ad inflammationem cerebri digerendam potest, ideoque, primo quoque tempore, adhibenda est. Nullum enim remedium plùs pollet ad sanguinem è cerebro evocandum, hujusque arteriarum inordinatos motus sedandos. Neque profectò vero absimile est, exulcerationem committere posse, ut effusus, si quis jam, humor absorbeatur, et sic, secundum etiam in finem, proficere.

Fonticuli—ad strumosam praecipuè speciem sanandam conferunt. Confitendum verò est, fonticulos plùs posse ad arcendum hunc morbum, quàm ad sanandum inceptum; quippe cùm vel obstent, ne oriatur inflammatio, vel ortam discutiant. Quùm verò iis assuescat corpus, dubium est, annon repetita exulceratio plùs proficiat.

Purgatio

Purgatio frequens—aliud remedium est, quo caveatur, ne in caput sanguis nimiâ copià distribuatur. Quoniam verò eorum, qui hoc morbo laborant, alvus perquam torpida est, acriora cathartica, hunc in finem, necessaria sunt; jalapa, nempe, murias hydrargyri dulcis, et gambogia.

Quoties alvus purgitanda sit, judicandum est; considerando, quâ aetate aeger sit, quâ constitutione corporis; quo cursûs spatio morbus sit; et quae, denique, morbi species urgeat. Qui phlogisticâ specie laborant, ii purgationem meliùs patiuntur, hincque plus commodi accipiunt, quàm qui strumosâ.

Positura erecta. Quò in cerebrum sanguis leniore impetu diffundatur, oportet aeger quàm maximè saepissimeque erectus sit. In lecto caput humerique pulvinis suppositis suffulcienda sunt. Utilissimum, porrò, erit, si liberum aëris perflatum habeat cubiculum, ubi aeger lecto tenetur.

Secundum Consilium. Si, remediis et medicamentis, quae memoravimus, parùm valentibus,

tibus, apoplexia hydrocephalica progrediatur; potissimùm, si indicia compressi cerebri ostendant, effusum jam in ventriculos humorem esse; debent medici quamprimum operam dare, ut hinc humor resorbeatur.

Hunc in finem, oportet aegrum in usu exulceratoriorum et catharticorum perseverare, prout vires sinant, et morbi ratio requirat.

Hydrargyrus—medicamentorum, quibus effici possit, ut effusi humores resorbeantur, hactenus efficacissimum à medicis habitus est, adhucque habetur. Quum verò in infantibus salivam movere difficillimum sit, neque, nisi hac motâ, certò scire possimus, hydrargyrum corpus implevisse; aeger debet non solùm muriatem hydrargyri dulcem magnâ copiâ devorare, sed etiam summae cuti unguentum ex hydrargyro vehementer quotidie infricare. HOMEUS praecipit, ut internis buccis murias hydrargyri dulcis affricetur.—Unguentum ex hydrargyro, ad quantitatem unius drachmae vel semunciae, singulis diebus, summae cuti infricetur; dum simul tantum muriatis hydrargyri dulcis devoratur,

ratur, quantum stomachus et alvus, sine detrimento, ferre possint.

Percival literis prodidit, infantem, nondum annum natum, qui, bimensis tempore, summae cuti quinque haud minus uncias valentissimi ex hydrargyro unguenti infricuerat, simulque devoraverat triginta septem grana muriatis hydrargyri dulcis, ad sanitatem pervenisse. Hujus tamen infantis os salivâ non fluxit; etiamsi pars summae cutis, cui infrictum unguentum est, semper, protinus ante infrictionem, quae semihoram utique implevit, lavata sit aquâ calidâ.

Gregorius, contrà, salivam compluries movit, semelque vehementer, neque tamen morbum levavit. Verisimile tamen putat, fieri nonnunquam posse, ut hydrargyrus, praeterquam quòd faciat, ut ex ventriculis cerebri resorbeatur effusus humor, vi, qua pollet, duritias emolliendi, tubercula indurata, quae tam saepe in cerebris eorum existunt qui hoc morbo laborant, eodem prorsùs modo discutiat, quo solet duritias hepatis.

Mihi

Mihi nuper se obtulit occasio hominem, jam aetate provectiorem, qui hoc morbo laborabat, ad sanitatem perducendi usu hydrargyri. Salivam movere difficillimum erat: sed, ex quo tempore os salivare incepit, inclinavit morbus, atque sensim desivit.

Si hydrargyrus alvum vehementer citet, superdandum opium est. Oportet autem cavere, ne unum malum vitando in contrarium curramus.—Profusus sudor, qui in capite nonnunquam oritur, debet protrahi idoneis medicamentis.

Digitalis purpurea—utrùm iis medicamentis, quae ad inflammationem discutiendam adhibentur, an iis, quae assumuntur, ut lymphatica, si qua, vasa ad effusos humores ex ventriculis resorbendos instigent, rectiùs annumeretur, incerti sumus.

Mirâ facultate, quam possidet, vim arteriarum sedandi, hoc medicamentum multùm ad inflammationes digerendas pollet; et, quum inertia vasa bibula, mirum in modum, incitet,

 efficacissimum

efficacissimum etiam videtur ad haec usque eò instimulanda, ut effusos humores resorbeant.

Quomodocunque agit hoc optimum medicamentum, brevi, ut verisimile videtur, alia medicamenta supervacanea reddet. Certiores nos facit ERASMUS DARVINUS, saturatam tincturam, modo quo commendat paratam, infantibus, duntaxat paucos menses natis, tutò dari posse. At malis tamen, si qua ex ejus usu oriantur, quamprimum subveniendum est.

Vix dubium est, quin digitalis purpurea, modò opportuno tempore assumatur, utrisque pariter apoplexiae hydrocephalicae speciebus opituletur. Quando sit temporis opportunitas, facilè judicabit peritus medicus. In secundo morbi spatio, ubi arteriae subsederint, neque, temporis minuto, plùs sexagies quinquagiesve micent, nemo medicorum, nisi imperitissimus quispiam, aegro digitalem praescriberet.

Diuretica—apoplexiâ hydrocephalicâ laborantibus nihil quicquam proficiunt.

Sudorifica,—cùm hunc semel morbum sanaverit

verit vaporarium, per totum cursum commodè et cum fructu assumantur.

Errhina.—Quoniam, qui morbo, quem persequimur, laborant, eorum nares plerumque aridae sunt; medicamenta, ex iis quae pituitam movent, quippe cùm sanguinem in nares copiosiùs derivent, quàm ex consuetudine, consequantur forsitan, ut vasa, quae in cerebrum sanguinem distribuunt, aliquantò minùs impleantur.

Nullum verò afferunt commodum nisi iis, qui, sternutamentis nares proritare assuefacti, horum usum, ante morbi accessionem intermiserint.

Consilium Tertium.—Mala, quae levamen desiderent, alia erunt, aliis morbi temporibus.

Vomitus,—quoties urget, sedetur citrate potassae, cujus partes constituentes separatim devorentur, ut, in stomacho, inter concorporandum effervescant. Huic medicamento paucae nonnunquam superdentur opii guttulae.

Acetum, porrò, et acida etiam mineralia, multùm, utì periculo compertum est, ad vomitum

mitum sedandum pollent. Experienda igitur sunt, siquando parùm valeant citras potassae et opium.

Dolor.—Si caput aut membra vehementer dolent, opium, aliave medicamenta quibus inest, assumendum est, modò nulla caeterorum malorum, quibus affligitur aeger, ejus usum prohibeant, maximè sopor et compressa alvus. Eodem verò tempore dubium nobis videtur, unquamne ab iis, qui phlogisticâ apoplexiâ hydrocephalicâ implicantur, opium tutò assumatur.

Compressa alvus—liquanda est medicamentis, quae suprà memoravimus.

Convulsiones—perindè curandae sunt, atque eae, quae ex aliis causis oriuntur.

Per totum morbum, nisi simplex inflammatio urgeat, oportet medicos dare operam, ut idoneis medicamentis, modico nempe vini, vel spiritûs ammoniaci aromatici usu, itemque cibis ex materia valente, at levi tamen et ad concoquendum facili, quae stomacho idonea sit, vires sustineantur.

Ubi idoneâ curâ, et medicamentis remediisque,

que, morbus, quem tractavimus, ad sanitatem perductus est, revalescentis vires, quae supersint, quamprimum confirmandae sunt, ne denuò recidat.

Hunc in finem, utilia sunt, imò haud rarò etiam necessaria, frequentes sub coelo frigidulo puroque exercitationes, quales, sine fatigatione, corpus ferre possit; cinchonae cortex; diaeta valens, levis et concoctu facilis, atque temperatus vini usus. Haud scio, annon etiam utile sit, frigidâ subinde aquâ lavare corpus.

Ne redeat morbus, setaceum in cervice faciendum est; et prohibendum, per annos, plures paucioresve pro aetate, ne cicatriculam contrahat. Quàm maximè quoque cavendum est, ne capiti vis extrinsecùs inferatur, atque ne ex illata caput detrimentum capiat.

FINIS.

Excudebant C. STEWART et Socii, Academiae Typographi.